





12237  
50

N 18

27

DE

FORO DELICTI IN CONFINIO CIVITATVM  
COMMISSI

1793 11

DISPUTATIO

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
CHRISTOPHORO CAROLO STVEBEL

VTRIVSQUE IVRIS DOCTORE ET CAVSARVM PATRONO

DIE XVIII. IVNII A. R. S. MDCCXCIII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CAROLVS MICHAEL WEHNER  
TORGAVIENSIS.

VITEBERGAE,

LITERIS TZSCHIEDRICH IL.

78

7887

THEATRUM CHIRURGICO  
ACADIMICO

DIVISUS IN

TRADITIONES MEDICINALES ACADEMIAE

HERSCHIOGRAPHICO QUADRATICO

EX LIBRIS M. J. H. DE VRIES

THEATRUM CHIRURGICO

ACADEMICUM

EX LIBRIS M. J. H. DE VRIES

THEATRUM CHIRURGICO

ACADEMICUM EX LIBRIS M. J. H. DE VRIES

**Q**ui de lege poenali violanda cogitant, sperantes, fore, ut delictum commissum iudices celerare, aut fuga saltem capessenda ex eorum manibus clabi possint, ad crimina perpetranda fere accedunt. Nam vero, cum in extremis ciuitatum locis delinquentibus actiones suas occultandi, vel ad alias prouincias fugiendi maior suppetat copia; non raro fieri solet, ut ii, qui male facta machinantur, vltimos ciuitatis fines quaerant, eoque de industria se conferant, aut, si in his locis iam versentur, commoda hac occasione ad leges migrandas se abripi patientur. Ne igitur criminibus ullus locus relinquatur, hanc quoque viam eludendi iurisdictionem criminalem impediri atque praescindi, necesse est. Huc spectant leges et mores, qui in persequendis inuestigandisque delinquentibus, qui in fugam se coniecerunt, apud nos obseruantur, eique consilio, si forum delicti commissi nulli dubio obnoxium est, optime consulere videntur.<sup>a)</sup> Interdum tamen accidit, ut, crimine in limite ciuitatis perpetrato,

<sup>a)</sup> vid. PÜTTMANNI Elem. iur. crim. Lib. II. c. 26.

plane ignoretur, vtrum v. c. pugna singularis, rapina aut homicidium in nostris terris, an in prouincia finitima sit suscepturn, ideoque ipsum forum delicti commissi in dubium vocetur. Atque tam effectu destitui optimas leges contra fugitiuos criminum reos, si iudices diuersarum terrarum de competentia fori dubii haerentes inter se adhuc litigent, institutisque salutaribus vti prohibeantur, bene quidem iureconsulti intellectisse, minime vero quaestione satis accurate explicasse videntur. Quamquam enim hoc in casu delictum in confinibus ciuitatum sese contingentibus commissum esse ponunt, dubium tamen, quod excitari diximus, hoc modo remotum, litemque compositam minime reperies, sed tota res adhuc admodum controversa est. Quibus autem praemissis satis patet, hanc causam neque vsu forensi destitui, neque leuis momenti esse ad reipublicae securitatem atque salutem.

### §. 2.

Accingamus igitur nos ad rem ipsam, indagamusque paullo accuratius, quam hucusque factum esse videtur, in quibus ius et obligatio delicta in confinio vicinarum ciuitatum commissa puniendi reperiatur. Atque hic silentio facile praetermitti possunt inane illae coniecturae, quibus ex vestigiis perpetrati sceleris iudicari

cari posse, existimant, in cuiusnam ciuitatis finibus delictum sit consumatum. In quaestione enim proposita talis causa fingitur, ut de loco delicti commissi plane non constet, omnisque huius loci praesumptio excludatur. Volunt quidem, ut haec modo afferam, eum competentem censendum esse iudicem, in cuius terris caput, tanquam membrum corporis principale, vel ea corporis pars, quae cor continet, reperiatur, quippe quod fons vitae sit, primum in viuendo et ultimum in moriendo; aut in cuius terris pedes occisi saltem deprehendantur, cum ibi eum stetisse vulnusque lethale accepisse intelligatur; aut denique in cuius terris sanguis effusus conspiciantur, quia eo in loco factum esse perpetratum exinde appareat. Quae quidem indicia vana incertaque esse, multoque minus liti dirimendae sufficere, in oculos statim incurrit. Etiam si enim reuera summam semper probabilitatem efficiant, in causa praesertim homicidii, minime tamen in multis aliis delictis adhiberi possunt. b) Ut vero in viam reuerter, a qua istae ingeniosae conjecturae paullulum me deduxerunt, illorum sententiae, quae nostram quaestionem

A 3

magis

b) vid. CARPOV. Quaest. 110. n. 26-34. MATTHAEI de crim.  
L. 48. Tit. 13. n. 6. BRUNNEMANN Proc. inquis. c. 3. n. 19.  
et BERLICH. P. I. Dec. 62. n. 8.

magis tangunt, primum in medium veniant. Iam seculo XVII. MATTHAEI<sup>c)</sup> in hac causa cognitionem vtrique iudici diuersarum ciuitatum defert, ita tamen, ut ille praeferatur, qui alterum praeuenerit. Quam sententiam hac potissimum ratione suffulcit, quia ita delictorum coercioni nulla plane mora adferatur, neque reus, dum iudices mutuo se praestolentur, interim elabatur. Admodum probabilem esse, ciuitatique quodammodo proficuum hanc rationem, non negauerim, praesertim ob diuersa iudicum studia, aliaque incomoda, quae forum mixtum habet adiuncta. Attamen cum hic non quaeratur, quis facilius, nullaque interiecta mora, sed quis iure suo delicta in confinio commissa coercere possit, atque ex eo, quod facillime celerimeque negotio defungamur, non sequatur, nobis eiusdem suscipiendi ius competere; haec argumentandi ratio parum idonea censenda est. Quod porro ad praeventionem attinet, qua vnum alterum iudicem excludere possit, dubitantibus, vtrum scilicet ad eam citatione, an deprehensione opus sit, recte quidem laudatus iureconsultus responderet, illam sufficere, si neuter reum iam deprehensum teneat, frustaneam autem fore, si reus in manibus aliis iudicis eum non exhibentis

c) De criminibus Lib. 48. Tit. 13. n. 7.

bentis versetur. At ne praeuentioni quidem hic locus  
esse potest, quae requirit, ut de competentia iudicium  
in genere quidem constet, sed in hypothesi, pari-  
bus utriusque iuribus concurrentibus et inter se pu-  
gnantibus, quilibet cum exclusione alterius illam exer-  
cere possit. Sic illi recte praeuentione vti possunt, quo-  
rum unus ob domicilium delinquentis, alter vero ob  
delictum in terris suis commissum vel arrestum ius suum  
puniendo probari vult, cum haec fora plane paria no-  
stris moribus reperiantur. Vbi vero incertum est, sub  
cuius iurisdictione quis deliquerit, et uterque index sibi  
solitariam competentiam asserit; praeuentio suo desti-  
tuitur fundamento.<sup>d)</sup> Sic sortis quoque auxilium, quo  
alii rem decidi volunt, MEISTERVS reprobat, quippe  
quod conuentiones de hoc casu antea initas supponat,  
hic vero inquiramus, cuinam iudici legibus positiuis  
hac de re tacentibus ex principiis iuris criminalis uni-  
versalibus cognitio eiusmodi causae sit deferenda. Ce-  
terum optimi iuris criminalis interpretes in ea senten-  
tia conspirant, si ob confinium terrarum nos plane fu-  
giat, in cuius ciuitate delictum sit perpetratum, cau-  
sam

d) vid. MEISTERS vollständige Einleitung zur peinlichen Rechtsgelehr-  
samkeit in Deutschland, S. 626. et BOEHMER ad CARPZ. obs. 4.  
quaest. 110. n. 38.

sam ad iudices finitimos pari iure pertinere, neque vnum alterum excludere posse, ita ut forum constituantur mixtum, omnesque inquisitionis aetatis utriusque nomine suscipiantur. e) At enim a me impetrare non potui, ut illorum virorum communem amplectenter sententiam. Primum enim forum mixtum in se spectatum vix, ac ne vix quidem locum habere potest, cum, ut ipse BOEHMERVS fatetur, innumeras parere soleat molestias, et saepe ipso careat exitu. Quodsi hoc in casu, addit ille, in uno loco accusatorius, in altero inquisitorius processus receptus, vel de loco inquisitionis causa coquendi et executionis suscipienda lis emergit, pacto aut sorte suffragante, cui ex duobus magistribus magis fauendum, definiri debeat; sine his enim mediis nullus adest exitus. Deinde haec opinio parum idonea videtur cum ob solam incertitudinem fori competentis, nullisque aliis rationibus explicatis eam defendunt. Faciamus igitur periculum, utrum alia vires expediri, atque ex primis iuris criminalis principiis rectiori modo proponi possit.

## §. 3.

e) v. CAREZ. Nov. Pract. rerum crimin. quaest. 110. n. 37. MEISTER l. c. S. 627. BOEHMER l. c. QVISTORP. Grundsätze des deutschen peinlichen Rechts, Th. 2. §. 575.

## §. 3.

Quod ad statum causae præsentis pertinet, qui primum nobis formandus est, nimis subtiliter a iure consultis excogitatus esse videtur. Delictum enim ita in confinio committi posse, ut neutrius ciuitatis terras reus magis tangat, et in linea quasi duas prouincias definiente et sejungente locus facinoris constituatur, cogitari nequit. Etiam si igitur quis in extremis ciuitatum vicinarum locis in crimen incurrat, semper tamen vnius imperii fines ingrediatur, necesse est. Quare si vestigiis facinorum aliisque probandi auxiliis locus delicti commissi in hoc casu explorari non potest, duo tantum assumenta sunt: delictum nempe aut in nostris terris, aut in loco his proximo esse perpetratum, forique competentia ex alterutra ratione est diiudicanda. Neque ita res multum difficultatis habet. Haec locorum diuersitas iurisdictionem criminalem parum mutat, cum ius puniendi minime a loci, vbi delinquitur, conditione totum pendeat, sed ex reorum potius obligatione factum quoddam omittendi sit aestimandum. Ita fit, vt noui iuris in causa proposita statuendi studio plane supersedere, eamque consuetis de fori competentiæ præceptis superstruere, atque ex iisdem explicare possimus. Veniamus igitur ad rem proprius, consideramusque, vtrum et quatenus ex illis duabus rationi-

B

bus

bus ipsum ius coercendi male facta ad hunc usum revocari queat. Hoc ius, quatenus in ciuitate iuribus maiestatis continetur, eisque soli, penes quem summum est imperium, competit, erga eos tantum exerceri posse, qui legem poenalem, qua tenebantur, sponte violauerint, tritum atque decantatum est. Cum porro tam legum obligatio, quam facultas earum violationem vindicandi variis nitatur atque definiatur rationibus, in causa praesenti ante omnia inter eas accurate distinguendum est. Quatuor autem hic indaganda videntur. Quae-ritur enim primo, cuiusnam et praecipue utrum utriusque ciuitatis legibus actio in confinio facta aduersetur, nec ne; secundo cui ciuitati delicti reus tanquam mem-brum fuerit adscriptus; tertio utrum is, cuius iuria pro-xime imminuta sunt, legum securitate fruatur, nec ne; et quarto denique, ubi reus criminis admisso verisetur. Quae si accurate exposuerimus, sine dubio apparebit, nullis in hac causa opus esse exceptionibus, sed forum delicti commissi suo fundamento hic nunquam destitui.

## §. 4.

In foro delicti commissi, quod dicitur, consti-tuendo non solum ad locum, ubi male factum per-pe-tratur, sed ad leges poenales quoque eius loci respici-mus,

mus, quibus illud contrarium simul esse debet. Loci propterea ratio habetur, ibique persecutionem criminum, et in primis poenarum executionem recte fieri statuitur, primo, quia eo in loco iis, quibus delinquendo damnum proxime fuit illatum, plerumque adsunt, delictorumque inuestigatio longe facilior est; deinde etiam praecipue, quia eius loci securitas potissimum turbata, et poenarum ibidem exequendarum auxilio restituenda magisque confirmanda est. Itaque securitate apud eos, qui in periculum adducti sunt, stabilienda in primis facultas in loco delicti commissi a reo poenam sumendi nititur, nec iisdem limitibus, quibus loci dominium definitur, circumscribi potest. Etiamsi igitur incertum sit, utrum delicti reus intra nostrae ciuitatis fines, an in loco iis proximo, seu, ut loqui solent, in confinio deliquerit, perinde est, et forum delicti commissi pari iure obtinere debet, cum ciuitatis nostrae securitas, crimine fortasse extra fines territorii, in proxima tamen vicinitate admissa, pariter laedatur, ac si in nostris terris id perpetratum fuerit. Quod vero ad alterum, quod in foro delicti commissi desideratur, pertinet, nempe ad legum praecepta, quae actionem illicitam prohibent, in nostra causa duplice ratione forum delicti commissi locum habet. In confinio quidem delinquens vel utriusque, vel unius tantum ciuitatis leges migravit. Primum si accidit, utriusque ciuitatis iudex pari iure delicti reum castigare potest, ita ut forum in hoc casu plane sit commune. Sed rem uberior expona.

mus. Incertitudinem loci ius puniendi non mutare, cum ex principiis allatis perinde sit, vtrum quis intra, an extra fines territorii delinquit, modo securitas sit laesa, iam docuimus. Nunc violatis vtriusque ciuitatis legibus, profecto vtriusque ciuitatis securitas quoque periclitatur. Cuilibet igitur illorum magistratum ius competit, de eiusmodi delicto cognoscendi, idque secundum leges loci puniendi. Et cum nullius iudicis competentia hoc loco in dubium vocetur; praeventioni locus est relinquendus, ita, ut vterque quidem hoc iure fruatur et hac obligacione teneatur talia delicta coercendi, unus tamen alterum praeueniendo ab officio tristi liberet. Etenim longe absit, iurisdictionem criminalem ad exoptatos referre reditus. Nam si unus poenis infligendis securitatem restituit, ab una parte vteriori coercitione non amplius opus est, ab altera vero duplici poena irroganda maxima inferretur iniuria. Rarissime quidem sit, ut malefactum in hac ciuitate leuius peccatum, in illa vero atrox crimen habeatur, ideoque diuersissimae statuantur poenae, atque unius legibus mitioribus alterius securitas in periculum adducatur. Vera enim crimina in vnaquaque ciuitate plane eadem semper esse debent, et delicta politiae, quae pro cuiuslibet ciuitatis condizione saepe variant, tantam vim raro habent, ut de vteriori coercitione quaestio mouenda sit. Quodsi tamen necessarium videatur, ut in casu quodam tutiora adhibeantur securitatis auxilia, magistratus alius praeventione ab inquisitione criminali exclusus, nisi causae fori

fori deprehensionis aut remissionis, de quibus infra dicens  
locus erit, intercedant, poenaque alibi iam soluta, hic; quantum necessarium putetur, his viis ad augeri possint, proscriptione aliquaque politiae institutis reipublicae prospiciendum est. Restat nunc, ut de aliis iisque diuersis, quae hic obuenire possunt, delinquentium, aut laesorum conditionibus paullulum differemus doceamusque, quatenus fori competentia in hoc casu ab iis pendeat. Delicti reus aut eius ciuitatis, in qua causa criminalis agitur, aut eius, quae a criminis cognitione praeventione liberatur, aut aliis membrum esse potest. Sed hoc non impedit, quo minus uterque magistratus ciuitatum, in quarum confinio delinquebatur, causam cognoscat. Peregrinis enim leges nostras violentibus nomine ciuium temporariorum eadem imponenda est poena, quae ciues perpetuos manet, neque illam, quam vulgo statuunt, exceptionem admittimus, leuiorem nempe poenam irrogandam esse peregrinis, si in loco, ubi domicilium habent, aut causa agitur, mitior poena obtineat. Rationes huius sententiae alio tempore explicatae sunt.<sup>f)</sup> Porro is, cuius iura delicto proxime sunt turbata, aut iudicis, qui in delictum inquirit, prouinciae ciuis adscriptus, aut alias

B 3 impe-

f) vid. Disp. Vtrum et quatenus fori nostri usus in puniendis subditorum temporariorum delictis, si qua apud nos commiserint, cum principiis iuris criminalis vniuersalibus conueniat, quam numerus auxilio Iustissimi Praefidis F. A. V. IACOBI inter nos defendit.

imperio subiectus est. In utroque autem casu ius puniendi commune manet, et hoc tam ex iure naturae, quam ex aliis rerum publicarum institutis deduci potest. Secundum illius praecepta alios quoque, etiamsi cum iis de eo antea non conuenerimus, defendere, nec non in poenis infligendis adiuuare debemus, si laeorum securitas nostrum auxilium requirere nobis videtur. Iam cum ciuitas personam mysticam constituat, hocque nomine iisdem erga alios extra se viuentes obligationibus teneatur, ius naturae in hoc quoque casu praecepit, ut laetus, licet sit peregrinus, ciuilibus defendatur poenias. Ceterum peregrini per nostras terras iter facientes, aut ex alia causa apud nos commorantes plerumque commerciis suis varia nobis adferunt commoda, et pro ciuili securitate, qua fruuntur, pecuniam quandam, quam germanice *Geleite* dicimus, soluere solent. Peregrini igitur partim secundum politiae praecepta, partim ex tacita conventione non minus securi praestanti sunt quam ciues.

### §. 5.

Perueniamus nunc ad alterum, quem adsumsi-  
mus, casum, vbi unius tantum ciuitatis leges ab eo,  
qui in confinio duarum prouinciarum deliquerit, viola-  
tae sunt. Interdum enim fieri potest, ut leges, prae-  
fertim politiae, unius ciuitatis facto aliquo interdicant,  
poenisque grauibus istud persequantur, quod in alia  
ciuitate pro diuersa huius conditione recte permititur.  
Atque tunc forum commune utriusque iudici non amplius  
esse



esse attribuendum, per se statim intelligitur. Tum enim ibi forum delicti commissi inuenit locum, vbi leges hanc actionem prohibent, et quidem sine discrimine, vtrum ciuis, an peregrinus in delictum incurrat, aut damnum eo proxime sentiat. Hoc ex iisdem rationibus, quas in prioribus exposuimus, satis luculentter elucet. Sed quaestio, quae hic mouenda, quaeque ulterius nobis explicanda est, spectat ad delinquentem, qui aufugit, atque apud principem vicinum deprehenditur, cuius leges non migravit. Hic quidem quaeritur, vtrum reis ad forum delicti commissi remitti possit aut debeat. Iterum confugiendum est ad ius naturae atque indagandum, quatenus singuli homines aliorum litibus atque iniuriis fese immiscere, quandoque laeso contra iniustum aggressorem auxilium praeferre possint, vel ad opeim ferendam obligatione naturali obstringantur. Iam secundum paecepta iuris naturae, quod impediri iubet, ne natura humana in aliis vills abutatur, obstricti sumus, vt de iniuriis aliis inferendis cogitantem vi repellamus, atque laesi securitatem, si nempe nobis certo persuadeamus, illam alias esse perituram, ideoque nostrum auxilium ad eam recuperandam seruandamque necessarium putemus, poenarum deterritione restituere studeamus. Quodsi ad conditionem inter duas ciuitates, cum alterius securitas in confinio turbata est, intercedentem adcommmodamus, facile quidem est ad intelligendum, summam societatis civilis potestatem delinquentem vnum paucosue viribus


bus semper antecedere, et nunquam, vt contrà singulos defendatur, alias ciuitatis potestate opus habere, ita vt princeps, in cuius terris is, qui alias ciuitatis leges transgressus est, commoratur, nomine illius a reo solum poenam sumere cogatur. Quare forum deprehensionis, quod in iure criminali dicitur, inter diuersas ciuitates ratione sufficiente plane destituitur, nisi plures prouinciae ita coniunctae sint, vt nouam vniuersam ciuitatem constituant, cuius rei egregium nobis exemplum imperii Germanici forma praebet. At enim vero nonne securitas turbatae ciuitatis saepe exigere potest, vt vicinus princeps reum ad se fugientem transmittat, eamque in poenis infligendis hoc modo adiuuet? Spe enim ex loco peregrinis terris finitimo facili negotio aufugiendi, atque poenam delicti ibi perpetrati probabiliter euitandi ad delinquendum inuitantur ciues, ac de legum sanctitate multum detrahitur. Vicinarum igitur ciuitatum securitas necessario requirit, vt delinquens vnius tantum leges laedens remittatur, vtque, omni spe forum delicti effugiendi erepta, poenae sua non priuentur auctoritate. Quodsi verum est, nemo in dubium vocabit, ciuitatem ex principiis iuris publici vniuersalis teneri, delicti in confinio suo commissi reum ad forum facinoris remittere, cum diuerstarum ciuitatum erga se inuicem plane eadem sit conditio, ac singulorum extra ciudem societatem viuentium.

ULB Halle  
004 334 728

3







DE  
FORO DELICTI IN CONFINIO CIVITATVM  
COMMISSI

DISPUTATIO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
CHRISTOPHORO CAROLO STVEBEL

VTRIVSQVE IVRIS DOCTORE ET CAVSARVM PATRONO

DIE XVIII. IVNII A. R. S. MDCCXCIII.

H. L. Q. C.

FVBILICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CAROLVS MICHAEL WEHNER  
TORGAVIENSIS.

VITEBERGAE,

LITERIS TZSCHIEDRICHII.